

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6815

**Auteur(s) :** Mathieu de Graville [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Henri de Sully, Fécamp, La Trinité (abbé)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1159, 25 mars

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Accord conclu, en présence du roi, entre l'abbaye de Fécamp et Mathieu de Graville, au sujet de terrains situés entre Graville et Harfleur.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CXXX, t. 1, p. 236-237.

Texte établi d'après a

Noverint omnes tam presentes quam futuri quod Henricus abbas et ecclesia Fiscanni habebant in dominio inter Gerartvillam et Harefluet areas salinarum a salina Radulfi Postel que est ecclesie et abbatis usque ad vicum Arundel. Harum autem salinarum medietatem concedunt abbas et conventus Matheo de Gerarvilla, preter feodum Roberti filii Moberit quod retinent in dominio, eo pacto quod ipse Matheus omnes omnino salinas de suo proprio faciet, et si quandoque fuerit necesse denuo reficiet, et medietatem ex omnibus habebit, ita scilicet ut de ipsius parte ecclesie Fiscannensi dabit omnimodam decimam. Si quis vero calumpniam fecerit in his et de his erga Matheum vel abbatem, et disrationare potuerit, ad jus ecclesie specialiter absque Mathei participatione vel excambio revertetur. Quando vero salinarii ponentur ad salinas, ante abbatem Fiscanni vel cellerarium apud Fiscannum, vel ubicunque abbati placuerit, jurejurando firmabunt se redditus in fidelitate ecclesie Sancte Trinitatis legitime servaturos, nec aliquid de redditibus ministro Mathei sine ministro abbatis reddetur, nec e converso. Denique cum partiti fuerint redditus, de parte Mathei protinus et absque dilatione ecclesie Sancte Trinitatis reddetur decima. Has vero conventiones heredi suo, antequam finiat vitam, jurare faciet, si talis etatis fuerit quod sacramentum et facere et intelligere possit. Hec igitur omnia ante regis presentiam assensu ipsius confirmata et corroborata sunt. Per has itaque pactiones, quas hec carta testatur, Matheus homagium fecit abbati in salva fidelitate regis, et hec coram omni capitulo se tenere juravit. Juraverunt et cum eo Robertus de Esmalemaisnil, Willelmus de Brealté, Radulfus de Chenolvilla, Robertus frater ipsius Mathei, Willelmus Waste, Gifardus de Fontanis, Willelmus de Turfreivilla, eo utique modo quod, si Matheus prescriptas transgredederetur conventiones, coram omnibus, in curia et in placito, testes isti eas, sicut sunt, certa notificatione cognoscerent et propalarent, si summonerentur ab abbate vel a quolibet cui jusserit ipse, nec aliquid ad hoc disfaciendum vel pervertendum Matheo vel ejus heredi inferrent auxilium. Post mortem vero Mathei, suus heres nullam habebit inde saisinam, donec has conventiones se ad tenendum jurejurando firmaverit ; ipso quoque superstite, heredi suo sic se ad tenendum jurare faciet, et ita in heredum posteritate. Ex quo enim heres Mathei, vel sui heredis heres, et sic in posterum, has conventiones obtulerit ad jurandum, non negabit ei ecclesia quin saisinam habeat. Matheus vero et supradicti milites fratres ecclesie die quo hec acta sunt devenerunt.

Ex parte ecclesie testes : Robertus prior et conventus, Ricardus de Fiscanno, Rogerus abbas, Gaufridus de Crem.,  
Gaufridus de Sancto Nicholao, Johannes filius Oini.  
Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini Mo Cmo Lmo VIIIvo, die Annunciationis Domini nostri Jhesu Christi.